DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO VIRGINIQVE DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. MARTII,

M. MATHVRINO ALTON Doctore Medico moderatore.

An senibus calidus, humidúsque victus?

896

DIÆTAM sanorum & ægrorum præcipuam curam is rectè & conuenienter instituet, qui singulorum naturæ, ætati, & consuetudini proprias ac certas viuendi leges accommodabit. Sanitas exquisita primarum qualitatum, & principiorum vitæ temperies, atque complexio, quamuis similibus conseruetur, morbus eorundem dyscrasia contrariis abigatur, & castigetur, non est tamen similis vbique seruandi, vel abigendi ratio: morbus quippe μονήρεις fatique περίδρομος non omnis omnem pari contrarietate naturam afficit: nec sanitatis vnica est sibique perpetuò constans idea: non enim singulorum duntaxat diuersa est iuxta temperiem, compagem, ac indolem natura, sed vnius & eiusdem hominis varia maximéque dissimilis existit penes ætatem conditio. Hæc non annorum numero, nec scansili eorundem lege vniuscuiusque sors, sed insigni temperamenti mutatione venit æstimanda. Ipsam vero morum, & humorum, vitæ, & necis conuersionem non ea tantùm quæ nos assiduè circumstant incommoda quæ sunt plurima, sed quæ nobis ingenerata, & ab ortu tradita fatali quadam lege secum inuehunt: ita quæ sunt ortus primordia eadem interitus sunt efficientes causæ, vnde vita, illinc summa pernicies sæpiùs excitatur. Insitus quippe calor dum sensim, & sine sensu humorē primigenium sui pabulum depascitur, & absumit, idem marcescit temporisque decursu sponte deficit, sic qui lædit læditur ipse. Hæc calidi in frigidum humidi in siccum progressio vitæ limites, ætati differentias, & idoneas cuilibet viuendi leges præscribit.

VITÆ spatium non eadem meta conficit, seriùs, ocyùs, quisque hanc attingit. Caloris in humido permansione æui diuturnitas definitur, ad quam non tam humoris vbertas quàm eius lentor & viscidítas conducit: huius irreparabiliter effluentis copia nunquam parit excessum, imò ad sanorum εὐεξίαν seniíque moram confert. Citò & præmaturè deficiens velut iis qui naturâ, & instituto vitæ sunt sicciores senectutis canos non annos accelerat. Perperam ætates vitæ discriminat qui quatuor temperamentorum coniugationibus proportione quadam ipsas assimilat: edax quippe calor à modo variè deflectens plures, nec indiuiduas suis insignitas temperamentis, propriísque tum morbis tum symptomatis affectas ætates constituit, sic adolescentia, quæ infantiam & pubertatem in se continet, caloris humorísque copia luxurians ad vigesimum vsque annum producta suo merito paucos nec ægrè solubiles patitur affectus. Calidior sicciorque iuuentus ad quadragesimum vsque annum excurrens tam suo quàm diætæ vitio morborum quamplurimorum est feracissima, quibus succedens constans ætas sui vbíque ferme similis ac temperata quinquagesimum vix excedens annum (quæ sedato humorum orgasmo refrænatísque animi motibus tranquillior facta minùs sæuientes morbos faciliúsque profligandos experitur. Hanc proximè sequitur senectus, quæ cæteris frigidior siccíorque morbus existit, postremâ sui parte potissimum quâ vitam claudit, quæ est τῶν πεμπέλων & capularium, sicut prima τῶν ὠμογερόντων: vtrique cura medici & diœtæ patrocinio indigent vt structas senili marcori mortis insidias præcaueant.

ÆTATVM igitur aliæ aliis vt sunt affectibus obnoxiæ, sic quoque ad alias regiones, tempestates, victúsque rationes & instituta faciliùs comparantur. Non enim agentis causæ vis duntaxat, sed excipientis materiæ opportunitas plurimùm valet ad morborum procreationem, incrementum & solutionem. Acuti sæpiùs & grauiùs iuuenes exercent, vnde horum pauci veniunt ad senectutem: diuturni senibus vt plurimum commoriuntur & cum his desinunt: aliarum siquidem ætatum incommoda, quæ non diætæ vitio, sed suo merito nascuntur sequentium accessione finiuntur. Puerorum epilepsia his quàm cæteris minùs grauis & infensa, & virginum fœdi colores amoris insani certi nusquam indices pubertatis excessu propter natiui caloris antea sopiti & iam vigentis ἔκλαμψιν fugantur. Ipsa quóque senectus quorundam morborum discessionem & solutionem affert, quorum tamen non tam demit vitium quàm mutat in iuuentute aluus astrictior affectâ ætate non sine damno laxatur, & soluitur. Sola sibi cognatis & congenitis affectibus opem, & subsidium aliunde non expectat ingrauescens ac in peius ruens ætas senilis: renum & vesicæ dolores in ea vix sanantur, tusses & catharri ægrè vel nullo modo concoquuntur; non tamen frustra arti se committit, imò maiore opus habet artificis industriâ, quo lethi fatíque vicinior; nam si homo bulla eò magis senex. Ars quippe γηροκομικὴ senij dolores, & tædia demulcendo ac ingruentes vndecúnque morborum causas arcendo inualidum senem minùs querulum reddit, extremúmque marcorem conuenientibus auxiliis retardat.

AFFECTVVM, qui senes malè habent nullus senio grauior, tam est ineluctabile quàm intemperies frigida calidæ succedens est immedicabilis. Naturalis enim est marcor quem ars senum tutrix non sanat, sed cuius celeritatem coercet & annos producit: hunc accelerant sanguinis & humorum penuria, quibus destitutæ sensim sed inæqualiter solidæ corporis partes tandem æquali marcore contabescunt: nusquam magis integra senectus quam dum cruda & viridis humoris copia redundat. Cuilibet marcori communis siccitas cum arteriæ duritie, & pulsus obscuritate iuncta quæ caloris vel frigoris accessione curationis scopos immutat. Tam ex natura quàm ex morbo senium, quia febris expers calidioribus opus habet fomentis quæ extinctum pene vitalis principii calorem & resolutam ferme singularum partium vim excitent. Vtrique meracioris vini & mulsæ potus, nec non calidæ lotio fouendo tum etiam rigandò confert. Eadem περιφρυγὴς μαρασμὸς penitus auersatur, cui prohibendo frigidæ liberalis haustus & balneum conducunt. Omnis morbosa senum dispositio ætatis affectæ vitio comparata frigidæ temperaturæ tribuenda, quæ cruditatis seri succrescentis & concretionis humorum parens senile corpus aggrauat, & cutis perspiracula constringit: hæc procul arcebis si modico victu, sed lauto senes reficias, calidioribúsque præsidiis apio, melle, constrictos meatus aperias.

SICCITATEM verò naturalem, extremúmque squallorem, quem in plantis αὔανσιν dicunt, alteram καὶ τῇ φύσει καὶ τῇ ἀνάγκῃ ineuitabilem fati causam humidiora castigant, vel retardant alimenta, Ipsa quippe cum sint imbecilla leuioráque, quia nec dura nimiùm nec alienis qualitatibus vitæ principiis aduersa, sed languenti senum virtuti maximè consocialia concoquuntur facilè, promptè digeruntur, perfectiùs assimilantur, & quæ supersunt ab his inutilia pauca egeruntur citissimè. Quantò potus liquidiorque cibus languentium vires deperditas citiùs instaurat, tantò senes exhausti, & extincti calidioribus, & humidioribus indigent alimentis: & quia ægrè qualitatibus afficiuntur, nisi eæ nimiæ iis accidant, condimentis, sale potissimùm, & pipere modico senum edulia permiscenda, quæ pueris, & iunioribus æquè sunt fugienda. Siccior senum & conualescentium aluus non catharticis, acrioribúsque medicamentis irritanda, sed mellitis & emollientibus subducenda, quies illis exercitatione potior esse debet præter eam quæ frictione mediocri, inambulatione, & gestatione perficitur. Venus quouis tempore, quáque mensurâ semper inimica senibus quibus oleo rigata corporis superficies, & de prandio somnus, cæteris valde noxius, ad ἀνάληψιν, & virium instaurationem summoperè prosunt. Ex vitæ subsidiis quæ sunt plurima oua tremula, altilium & auicularum carnes, pisces quóque saxatiles, & qui in alto mari degunt perennem effluentis substantiæ iacturam citissimè resarciunt. Inter liquida lac plurimùm alit citóque alteratur γαλακτοφάγοις senibus quibus dudum est familiare magis accommodatum τῶν γὰρ εὐπέπτων ἢ τῶν μηδ᾽ ὅλως δεομένων τρίψεως περισσοφορὰ δυσπεψίας ἔκκλισιν ποιεῖ.

Senibus ergo calidus, humidúsque victus.

Proponebat Lutetiæ IOANNES COVSIN Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLII.